



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Dianæ. Animi pulchritudo & cœlestium bonorum copia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

## ANIMÆ HOMINIS IN CORPORE STATUS. CAP. XLII.

**M**ulier Tauro insidens, ac per mare delata, faciem tamen in tergum conversa, & litus quod longeliquit respiciens, significat animam hominis, quæ corpus per hujus mundi pelagus defert, cum ipsa tamen tellurem, quam deseruit, hoc est, Deum creatorem atq; opificem, avidis oculis intueatur. Et hic est Platonius ille animæ circulus, atque rationis motus, cum videlicet mente à divinis ad humanas res cogitandas, ipsaq; creta, conversa, tandem ad Dei contemplationem homo redit: ideoque Poëta finxerunt, Europam Agenoris Phœnicum regis filiam, ab Jove sub forma Bovis, aut Vituli raptam, & per mare in Cretam delatam fuisse: cujus fabula mystica explicatio est, quam modo protulimus.

*Platonius anima circulus.*

*Ovid. lib. 3. Metam.*



## DIANA.

## RERUM PERMUTATIO. CAP. XLII.

*Diana hieroglyphicum, Hinc foris Julia Orpho dicta, terrestris, propter generationem & corruptionem.*

**V**irgo cui Mercurius vestem porrigit, Diana est, que rerum mutationem ex incremento & diminutione factam significat. Finxerunt enim Græci Poëta, Jovem cum videret Dianam nudam incedentem, quod id virginem minime decere videretur. Mercurio, ut ei vestem faceret, mandasse: cumq; multas ei Mercurius vestes fecisset, nullam tamen illi aptam facere potuisse, propterea, quod illa, dum is unum pararet, assidue mutaretur, ita ut post illam non posset induere. Est ergo hæc figura incrementi & diminutionis, rerumve aut consilii & mentis mutationis hieroglyphicum.



## DANAÆ CUM AUREA PLUVIA. ANIMI PULCHRITUDO, ET COELESTIUM BONORUM AFFLUENTIA. CAP. XLIII.

*Alli & largitiones quibus omnia parent, referunt. Aureus imber in gremio Danae.*

**D**anaë formosissimæ mulieri, aurum in gremio pluisse finxere Poëta, per Danaen animi pulchritudinem significantes, que naturalibus virtutibus continetur, quas Deus amat, per aureum vero imbrem celestium bonorum affluentiam, quæ ex divino amore, ejusque benigneitate sunt petenda. Omnium enim bonorum perfecta copia à Deo solo datur.